



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Pater quoad alimenta filij, ejusdemque exhæredationem & vota, paragr. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

legis, si adolescens es, ac tyrocinium tantæ scientiæ ponere jam decrevisti, eorum limina tere, eos sæpe interroga, illorum lectionibus assidue ac frequenter assiste, quo aptior ad tantum munus animas regendi, quo nullum est excellentius, efformeris.

12. Iam vero dum avidis auditorum auribus, quæ retulimus, aliaque plura propinaret Hierotheus, ex cuius ore magis, quam ex Platone, melle dulcior, ob inditum à natura leporem, fluebat oratio, vergebat ad occasum sol, atque à vicinis montibus, arboribusque longiores se demittebant umbræ. Quare Theologo dicenti quies, familiæque pro suo cuiusque libitu consueta ambulationes per amena viridarij spatia concessæ sunt. Quorum exemplo, & mihi à benigno lectore, ne plus nimio in scribendo desudem, tantillum, oro, quietis, absoluto jam Dialogo, permittatur.

CAPVT TERTIVM.

Quid parentes filijs, quid conjuges conjugibus invicem debeant, &c.

VT valde obvia, & omnibus pœne cognita prætermittam, eadumtaxat compendiosè differram de patre ac matre, nec aliqua subricebo de marito & uxore, quæ nonnulla explicationis luce pro tyrohibus indigere videbuntur.

§. I.

Pater quoad alimenta filij, ejusdemque exheredationem & vota.

Pater filio legitimo.

QUoad patrem, quæret quis primò, an pater teneatur alimenta præstare filio legitimo? Respondeo, teneri, *a* etiam si filius authoritate principis fuerit proscriptus, etiam si fuerit excommunicatus, etiam si dissipaverit ea, quæ pater forte eidem assignaverat pro alimentis, etiam si filius potuerit sibi suo labore, vel aliunde providere, re ipsa tamen non providit. Ratio horum & similium est, quia adhuc filius est, & pars patris, de jure naturæ patrî commendatus, excipe quædam nu. 8. Quod si pater bonis careat, polleat vero mater, hæc succedit in hac obligatione, & utroque deficiente, avi, vel alij progenitores paterni, & his quoque deficientibus, avi progenitoresve materni; addit Azor, *b* & tandem consanguinei propinquiore, id quod, nisi forte intelligas fratres, sorores, ac patruos, *c* durum mihi videtur, si filius habeat unde vivat, liberabitur pater, materve, alijque ab alimentis porrigendis, quia cessat tota causa, nempe filij necessitas.

e Azor. p. 2. l. 2. c. 4. q. 7. b Idem ib. c. 5. q. 8.

2. Nomine autem alimentorum hic *cc* veniunt victus, vestitus, domus, lectus, medicinæ, impensæ funeris, imo & uxoris filijque sustentatio: atque hæc omnia juxta cuiusque conditiones; ita, ut filio nobili debeantur famuli, & pædagogus, & libri, & impensæ necessariae ad studendum, & juxta morem patriæ, etiam equus.

equus. Hæc enim & similia, cum his nō ad alios pauperes te vertere jure indigeat filius, alimentorum nomine potes? Vide quæ dicam li. 8. tr. 4. c. 1. hic comprehenduntur: Vno verbo, §. 3. n. 17.

debentur alimenta secundum statum, f. Sanc. in cons. t. 1. l. 1. c. 5. d. 4. non vero solum secundum naturam, vid. etiam d. 5. n. 75. Az. l. c. c. 5. quæ
cc Sanc. in cons. t. 2. l. 4. c. 3. deb. 7. facit huc de Lugot. 1. de just. g. Sanc. Az. l. cit. h. Bass. in florib. v. adulterium. n. 9.

3. De excommunicato addit Azor limitationem, ut ei à patre non debeantur alimenta, sed solum victus, ne fame pereat, quando sponte sua filius in excommunicatione persistit; sed id mihi difficile videtur. esto enim peccet tunc filius absolutionem negligens, tamen non videtur pietati Ecclesiæ conveniens, ut velit cogere parentem ad deferendum filium. Nec obstat ad deferendum filium. Nec obstat restitutionem teneri. Ratio est, præsumpta voluntas fundatorum, qui videtur ejusmodi hospitalium erectione, cujuscumque generis necessitatibus voluisse consulere; & certè mihi placet distinctio Layman; l. si hospitale sit dives, posse id sine dubio præsumi; quod non ita facile potest, si dives non sit. Hospitale magnum Patrum (ut audio) ita hos filios expositos alit, ut si in eorum patrum, matrumve notitiam veniat, statim illis eosdem reddat, repetitis expensis hæcenus exhibitis. Certè sic proficitur, eos tantum alere velle, qui sunt omni ex parte destituti: Iquare ejusmodi observatio, si adest, declarat, hanc fuisse voluntatem Fundatorum, atque adeo observandam.

4. Adeo rigorosum est hoc onus filium alendi, ut peccent f. mortaliter parentes, si sine gravi causa suos infantes in hospitali alendos exponant. Quod si timor infamiae, v. g. matris, vel similis necessitas ad talem expositionem divitem patrem compellant (quo casu certe non peccabitur) debet ex probabili g. sententia id fieri, animo restituendi, hospitali impensas faciendas in alendo exposito: Hospitali (inquam) nam non placet Bassianus h. dicens, posse restitui alijs pauperibus; si enim extat dominus, seu legitimus administrator earum impensarum, nempe hospitale, qua ratio-

5. Dixi (ex probabili sententia) nam mihi non est improbabilis cum limitatione mox dicenda, ex Layman, alia opinio Henriquez i. docentis, in eo timore, seu necessitate, non solum non peccare parentes, etiam divites, exponendo filium in hospitali, sed nec ad restitutionem teneri. Ratio est, præsumpta voluntas fundatorum, qui videtur ejusmodi hospitalium erectione, cujuscumque generis necessitatibus voluisse consulere; & certè mihi placet distinctio Layman; l. si hospitale sit dives, posse id sine dubio præsumi; quod non ita facile potest, si dives non sit. Hospitale magnum Patrum (ut audio) ita hos filios expositos alit, ut si in eorum patrum, matrumve notitiam veniat, statim illis eosdem reddat, repetitis expensis hæcenus exhibitis. Certè sic proficitur, eos tantum alere velle, qui sunt omni ex parte destituti: Iquare ejusmodi observatio, si adest, declarat, hanc fuisse voluntatem Fundatorum, atque adeo observandam.

i. Henr. apud Sanch. l. c. num. 17. ff. quem sequitur Dicastillus li. 2. de just. t. 2. d. 7. a. n. 171. l. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 17. n. 4.

Patet

Pater filio spurio, vel naturali.

6. Quæres secundò; an ejusmodi alimenta debeat pater, etiam filijs spurij, quales sunt ex damnato congressu geniti, puta incestu, adulterio, sacri-legio, quibus pater prohibetur aliquid causa mortis donare, vel relinquere? quod certè, præter cætera, factum est, ne legitimis hæredibus decreseat hæreditas. Respondeo, debere, *m* nam licet leges civiles etiam alimenta videantur prohibere, tamen quoad hæc sunt correctæ à jure Canonico, cum sit de jure naturæ, ut pater aliat filium, quacunque tandem ratione ab ipso sit genitus. Hinc sequitur, *n* patrem posse, imo & debere relinquere filio spurio alimenta proportionata suo statui; & filia spuria similem dotem (hæc enim succedat loco alimentorum) constituere, non solum ex bonis patrimonialibus, sed etiam ex fructibus reddituum Ecclesiæ: à patre perceptis; dotem, inquam, alimentis respondentem; si enim excedat, non potest, nam propterea ejusmodi excessum tum filia spuria, tum ejusdem maritus restituere, etiam ante judicis sententiam, legitimis hæredibus (nisi forte ipsi libere remittant) obligabitur. Vide hæc diligenter disputata apud Molinam, q. Sanchez, r. Azor, Fagundez, t. ubi invenies hanc doctrinam non esse contra constitutiones Pij V. qui videtur spurij prohibere etiam alimenta, nam in elligit, quando aliunde ali possunt.

l. Laym. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 17. n. 4.

m Mol. Azor. Sanc. max. cit. r. Sanc. in conf. t. 2. l. 4. c. 3. dub. 34. & 36. o. Azor. p. 2. l. 2. c. 12. q. 4. q. Molina de just. tr. 2. dis. 168. versu in. r. Sanc. l. c. dub. 39. & lib. 4. de marr. d. 26. d. n. 20. & diff. 28. nu. 32. f. Azor. l. t. & a. c. 8. r. Fagundez, lib. 4. in decal. c. 1. a. nu. 6.

7. De filiis naturalibus, qui illi sunt, qui generantur ex copula, nec approbata, nec reprobata jure civili, hic non meminimus; ijs enim certum est, non posse patrem alimenta denegare, imo posse, deficientibus filijs legitimis, omnia bona sua donare, vel relinquere, ut fusi Doctores, *tt* ex lege Sanc. t. 2. confil. lib. 4. c. 7. dub. 16. 7. & 18. alijsq. ab ipso cit.

Causa negandi alimenta, & exheredandi &c.

8. Quæres tertio: potestne licitè aliquando parens alimenta negare filio? Respondeo, posse, *n* quando scilicet adest aliqua ex causis, ex quibus jure pater filium exheredare valet, etiam legitimam eidem negando: nam ex iisdem valebit alimenta negare, filiaque dotem non constituere; quæ eadem causæ faciunt, ut filius patri alimenta negare licite possit. Ratio horum tangetur mox. Hæc autem causæ quatuordecim fere numerantur in legibus; & si filius (intellige etiam de filiam, imo & nepotes, respectu avorum) manus graviter in patrem iniiciat: si contumelia gravi afficiat: si accuset, extra casum proditoris Patris, vel Principis: si cum maleficiis se inter-

se intermisceat : si infidietur vitæ patris : si patris uxorem, hoc est, novercam violet : si in iudicium deferat patrem, cum ejusdem gravi detrimento : si requisitus à patre incluso filius (non autem filia) illum non adjuvet : si prohibeat patrem testari : si histrionicam, vel gladiatoriam exerceat, quando pater non est ejusdem artis : si patre offerente dotem & nuptias, filia minor viginti quinque annis luxuriose viveat : si parentis forte furiosi curam filius negligat : si eundem captivum non redimat, cum possit : si fiat hæreticus, patre existente Catholico. *

u Bonacin. t. 2. d. 4. in 4. decal. præcept. unic. a. p. 6. §. 3. n. 1. Covar. Molina, Sanchez. alijq. passim apud eundem Bonac. x Authen. ut cum de Appell. cognos. §. causas autem. a Bonac. l. 1. addit aliam causam, id est si filius dilapidaverit bona patris, Azor. l. 1. c. 3. q. 6. vide Authen. cit.

9. Sed insurgunt duæ difficultates : prima : an quando parentes exhæredare possunt filium, unde & licite negare alimenta, id intelligatur de omnibus, hoc est, etiam de necessarijs ad vitam sustentandam ? Respondeo, ita intelligi docet Molina, b quia tunc filius ob suam ingratitude non habetur amplius pro tali, solum igitur, perinde ac ceteri proximi in extrema necessitate, erit adjuvandus.

b Uterque Molina apud Sanchez. l. 4. matr. d. 26. n. 7. alijq.

Non ita intelligi, sed patrem teneri hæc necessaria alimenta præstare, docet Covarruvias, e quia esse physicum, filij, inquit, non amittitur, atque adeo

semper in patre aliqua major obligatio residet, quam in alijs. Vtraque sententia est probabilis ; hanc ut probabiliorem, & certè magis piam libentius amplector.

e Covarru. apud eund. Sanc.

10. Secunda difficultas : an possit exhæredari filius, atque à dictis alimentis expelli, si committat contra patrem aliquod peccatum simile vel majus ijs, quæ dicta sunt ? Respondeo : negant d plerique, nam in authentica dicitur, ut præter causas numeratas, nulli liceat ex alia lege alias ingratitude causas opponere. Concedunt nonnulli : e si enim pater exhæredationem filijs potest intentare, propter minora peccata, poterit propter æqualia, & multo magis propter majora : legem enim ad similia trahi posse, præsertim cum similis causa aut gravior existat, fatetur Azor. f Vtraque sententia in conscientia probabilis esto, etsi apud Iuristas prior habeatur probabilior.

d Molin. t. 1. de just. tr. 2. d. 176. alijq. apud eund. e Clarus, Covar. Reginald. apud Bonac. t. 1. circa 4. decal. præcept. d. 4. q. unica p. 6. §. 3. num. 2. alijq. apud Molin. cit. vers. dubium dicitur inde est. f Azor. p. 2. l. 1. c. 19. qu. 6. vers. Duo hic merito.

Habens patrem & filium à quo alendus ?

11. Quæres quartò : quid sentiamus de patre, quem Patratus appellant Latini, à quonam erit alendus ? Pater patratus est ille, qui filio gaudet

nec caret patre. Hic igitur, si forte e-
geat, eritne alendus à suo patre, an à
suo filio? Respondeo, à patre (ajunt
g aliqui) quia qui filium genuit, e-
undem educare, & instituere jure na-
turæ debet; A filio (alii contendunt
h) quia plus debet filius patri, à quo
suum esse habuit, quàm pater filio. V-
trumque probabile.

g Francisc. M. Pratus, alij apud
Dian. c. o tr. 3. res. 3. h Inclinat. sed
non resolvit Dian. l. c. i ut judicat A-
zor. 1. p. lib. 2. c. 5. q. 13. dum senten-
tiam priorem probabiliorē vocat.

Dices, si uterque ex his sequi velit
opinionem probabilem sibi faventem,
remanebit pater patratus sine alimen-
tis. Respondeo, si uterque persistat in
sua opinione sequenda, erit dividen-
dum onus in utrumque, profecto id
æquitas postulare videtur, esto, specu-
lative sit probabile, id non exigi à ri-
gore justitiæ. Vide lib. 1. c. 3. §. 4. v.
Alere filium dubium.

*Pater quoad irrotationem votorum filij
impuberis spurij.*

12. Quæres quintò; quid de votis?
filio spurio, ut item naturali non legi-
timo, potestne pater irritare vota, in
ijs casibus, in quibus posse legitimo,
alibi l diximus? Ratio dubitandi est,
quia radix, ex qua in patre procedit fa-
cultas irritandi vota, est patria pote-
stas in filium; at ex jure non habet
pater potestatem patriam in spurium,
nec in naturalem, ergo &c. Respon-
deotamen, posse m perinde, ac le-
gitimo. Ratio est, quia distinguere
debemus minorem prædictæ rationis

dubitandi: ex jure non habet pater e-
am summam potestatem, quam ipsa
jura inuexere, concedo: non habet e-
am potestatem procedentem ex ipsa
generatione, quæ patri competit ex
ipso jure naturæ, quæque sufficit ad
munus regendi illum impuberem,
atque adeo ad irritandum ejus vota,
nego minorem. Confirmatur, quia
interdum, ut ibidem n diximus, ma-
tri competit hæc potestas irritandi, &
tamen certum est, matri non esse con-
cessam ex legibus in filios patriam po-
testatem.

l Supra l. 3. c. 16. §. 3. per totum. m
Castrop. t. 3. tr. 5. de voto d. 2. p. 7. n. 5.
n Supra eodem li. 3. c. 16. §. 3. n. 21.

Castrop. o & Sanchez p docent,
hanc potestatem competere patri in
filium legitimum absolute: at in fili-
um illegitimum, tunc solum, quando
is tutorem non habet; quando enim
eum habet, gubernatio ejusmodi fi-
lij ad ipsum tutorem spectat, utpotè
qui est ex q legibus, sub ejus pote-
state constitutus: idem ego docui su-
perius, cum de voti irrotatione.

o Cast. l. c. p Sanc. lib. 4. in dec. c.
35. num. 82. q Inst. de patria potestate
in pr.

Verum nunc, re attentius confide-
rata, difficilis mihi doctrina videtur.
Si enim in patre residet potestas natu-
ralis, qua filij imbecillitati pater con-
sulat ante constitutum tutorem, ut o-
mnes fatentur, & per adventum tu-
toris hæc naturalis potestas non tolli-
tur, nec diminuitur, nec impeditur;
solum enim tutori conceditur guber-
natio, quoad cætera civilia, non vero
quoad ea, quæ pertinent immediate
ad res

ad res spirituales animæ, quarum dispositio ad ius civile nulla ratione spectat; cur tolli debeat potestas irritandi vota? ad summum, possit irritare tutor ex consequenti, quia nimirum ex potestate gubernandi, quam illi concedunt jura, consequatur facultas irritandi; & possit etiam pater principaliter, quia per jura non tollitur, quod filium genuerit, in quo firmiter radicatur irritandi facultas. Nec novum, apud plures posse eodem tempore residere irritandi potestatem, cum sciamus omnes, idem Religiosi votum posse irritari à Superiore locali, & à Provinciali. Consideret hæc sapiens Lector. nova enim & singularia discernere, nisi sint mihi valde manifesta, singularis nolo.

Pater, quoad vota filij, vivente Avo,

13. Quæres sextò: de avo vivente patre, quoad eandem irritationem votorum; quod ut commodius intelligi queat, reducatur in mentem illa juris r dispositio; *qui ex me, & uxore mea nascuntur, in potestate mea sunt.* Item, *qui ex filio meo, & uxore ejus* (idest, nepos meus, & neptis mea) *aque sunt in mea potestate, & pronepos, & proneptis, & deinceps ceteri.* Hactenus textus; ex filio, inquit, idest, descendentes per sexum virilem, sive ipsi mares sint, sive fœminæ. Nam descendentes ex filia nupta, sunt in potestate patris eorum. Et quidem hanc potestatem habet avus, non solum ex legibus positivis, sed etiam ex vi na-

turæ; cum ad priorem genitorem pertineant ceteri descendentes, tamquam ad principum primum, sine quo non essent posteri.

r l. nam Civium. ff. de his, qui sui, vel alieni juris sunt.

14. Ex his ergo oritur difficultas: cum tota potestas irritandi vota sit innixa in potestate patria, hanc autem habeat avus, consequenter poterit, etiam vivente patre, nepotis impuberis vota irritare, & rursus non poterit pater tunc suo filio impuberi eadem vota irritare, vivente avo, quia tunc pater non est sui juris, nec consequenter videtur habere filium in sua potestate. Augetur difficultas, quia Doctores passim docent, si filius efficiatur servus, suspendi patriam potestatem in patre, ne scilicet filius teneatur pluribus obedire, nempe patri, & domino: eodemque modo si efficiatur servus ipse pater, ne scilicet simili ratione filius teneatur obedire duobus, nempe patri & domino, in cujus dominio seu potestate est pater, & consequenter omnia patris: ergo pater in casu nostro, si nepos est in potestate avi, non erit in potestate patris, ne obedire duobus obligetur; & consequenter is, vivente avo, filij vota irritare non poterit. Ex alia parte, cum in patre semper resideat potestas veluti naturalis in filium, ratione generationis immediatæ ejusdem, neque sit inconveniens, potestatem irritandi vota esse in duobus, sicuti respectu religiosi est in Rectore Conventus, & in Provinciali, videbitur alicui, etiam patri, etiam avo convenire ejusmodi facultatem

facultatem. Nihilominus video, Sanchez, & Suarium, & Castropalaum, disertè docentes, avum nihil posse in vota nepotis, nisi mortuo patre; quare privative solum patri viventi eam facultatem concedere manifestè videntur, & ratio esse potest, quia facultas irritandi non est fundata solum in quacumque patria potestate absolute sumpta, sed maxime in ea potestate, quam quis habet in gubernatione domus, familiae & praesertim filiorum, quos genuit, hanc autem habet immediate pater, eoque deficiente, tutor vel curator, hisque deficientibus, avus ex parte patris & denum etiam, avo deficiente, mater; quod si haec etiam deficiat, jam sub nullius potestate erit filius. Atque ex hac ratione respondere facile poteris ad difficultates allatas numero praecedente.

¶ Quos seq. Castrop. l. 3. tr. 5. de voto p. 7. n. 8. versus f. & Sanc. in dec. l. 4. c. 35. n. 8. u. Suar. l. 2. de reb. l. 6. de voto c. 6. nu. 22. a Castrop. l. 3. tr. 5. de voto d. 2 p. 7. nu. 7. b Iuxta doctrinam & limitationes supra datas l. 3. c. 66. §. 3. nu. 19.

§. II.

Qua debeat mater filio, quoad eum lactandum, & alendum.

Quaes primò, an mater filium nutrice det licite lactandum? Respondeo, id certè nemini sine causa libens indulget, sed adhuc sine ulla, non nisi de venialitèr condemno: libero autem ab omni culpa, rationabili existente causa, Ra-

tio est, quia dummodo infans commode nutriatur, non videtur tam gravis defectus, ut, praescindendo ab alio inconvenienti, excusari nequeat ab aliqua competenti causa, qualis esset, imbecillitas matris, mors patris, vel quid simile. Inconveniens autem grave, ac propterea mortale pronuntio, si periculum appareat, infantem gravi morbo, vel grandiusculum effectum malis moribus, praesertim haerese, fore inficiendum.

a Navarr. in summa c. 14. n. 17.

2. Quaes secundo, mater quamnam alimenta filio debet? Respondeo, ea usque ad triennium exactum debet filium, etiam spurium, alere, lac praebendo. Ceterum reliqua impensae sunt à patre faciendae.

Si lacte mater careat, vel lactare filium nequeat, quia commodè (ut loquitur Dicastillus *b*) lactare non potest, tunc patris etiam onus est, lactis impensas solvere. Quod si pater solvendo non sit, qua ratione in onere alendi plene filium succedat mater dives, dictum est §. praecedente, nu. 1.

b Dicastil. lib. 2. de justit. tr. 2. d. 7. dub. 12. nu. 72.

Apud patremque, an apud matrem proles educanda sit, altero ex his infideli, seu haeretico existente, ut item divorij tempore, cum casus non sine frequentes, legantur Doctores. Propter eandem rationem, vide apud *d* juristas, nec omittantur Theologi, e qua ratione mater, si transeat ad secundas nuptias, amittat curam seu educationem filij ejusve tutelam, & similia. Ego enim de his aliquid dicam lib. 2. c. 1. §. 2. numero 5.

& Sanc.